



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Agatha. V. M. 5. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

errore intellecto perfanavit. Ad ejus preces cum defunctus è feretro resurgeret, inter fugientium ab eo spectaculo turbam ipsum quoque vidisses. Fluvium cum trajicere non posset, in alteram ripam D. Magdalena unà cum equo transportavit. Eadem facienti adfuit, hominumque absentiam satis unica pensavit. Iam inter monachos mori sibi visus, & manibus MARIE ac Friderici Cæs. tumulari, flammam habuit arbitrati piaculares, Genios item bonos malosque, hos corvi exuvijs horridos, illos cygneis (aut quascunque alias demum miramur & amamus) pennis superbos. Porro sacrificaturo mensam & vestes Cælites ministrarunt. Cantantibus benedicere vidit ab alto DEI manum. Iam ad ægrum septem continuos dies Christus Christi que Mater (utique optimi medici) inviserunt. Cum morituro verò horas precarias iidem visi percurrere, & quidem cucullum etiam ipsi induti. Superi vos comœdias & risum nobis datis mortalibus. Nos scilicet tragœdias & lacrimas reddimus. *Ex Casim. l. 7. c. 16.*

Quia Christi nomine vocatus es Christianus, petendum tibi est, ut actu tuo nomen hoc sanctificetur & honoretur in te: quia sicut virtutum fama nominis tanti resplendet ad gloriam, ita malè conversantis infamia ad ejusdem nominis redundat injuriam. S. Pet. Chrys. serm. 69.

S. A G A T H A. V. M. 5. Februarij.

ANNO CC. LIV. AGATHA Catanam ad Quintianum Prætorem abducitur. Deperibat hic Christi sponsam. Quare eam Aphrodisiæ lenæ commendat; facile ratus fidei castrum evertere, ubi

ubi prodita pudoris arx conflagrasset. Ambulavit illa per omnes fraudes, sed cæcam ad munera, surdam ad blanditias & minas invenit. Itaque Prætor amorem vertit in odium, martyriq̄ue ubera auferri imperat. Tulit facillè eam jacturam virgo, gnata Ecclesiæ sobolem non tam lacte matrum, quàm sanguine martyrum ali: sed nec uberibus diu caruit, medicinam D. Petro faciente. Quintianus, ex amatore jam carnifex, dum nudam in testatum fragminibus prunisq̄; volutari mandat, ecce mota insolite terra, cum duos supplicij auctores oppressisset, populum etiam ita commovit, ut re ad seditionem spectante, ad carcerem virgo reduceretur. Ibi inter vota animam in sinum ac amplexus Sponsi sui expiravit. Tumulum sepultæ Cærites marmore ornarunt cum hac epigraphæ: *Mentem sanctam; spontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem.* Quintianus dum Panormum fortunas virginis direpturus trajicit, equorum calcibus in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ sitim positurus. Ajunt corpus ejus nunquam repertum sepulchro caruisse. Nimirum, ut castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab homine quidem meretur tumulari
Ex Surio.

Christi exemplo vivendum est tibi. o pudicitia amator, si Sanctorum cupis habere consortium. Ab immunditia & turpitudinis cogitatu peccatus emunda, quoniam nullos nisi sanctos & justos, simplices & continentos caelestis aula suspiciet. S. Laur. justin.
 Lign. Vitæ cap. 3.

BB. XXVI. IAPONES MM.

5. Februarij.

Nillam Oriens tam nobilè, quàm Martyrum mittit purpuram. Eam anno M. D. XCVII. sanguine